

16 DE PARAD. FESTI PENTECOST. EXISTENTIA.

16. (XII) *Ex adoptionis pentecostalis Existentia*: primi parentes primum fuerunt *Filii Dei*, per creationem, vel potentia regnum, respectu cuius in Domo Dei magna debebant, *Patris* cælestis bona possidebant, & *jura*, seu *privilegia* filiationis externæ tenebant: postea facti sunt filii Dei nulli, dum *jure filiationis* prorsus exciderunt, & è contra per mendacium, & peccatum, facti sunt *fili Diaboli*, qui *Patrem mendacii* sequuntur, & sic *fili Patris* hujus dicuntur. *Job. II. 44. Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. &c. Conf. vers. 38.* sicut & *Protoplasti Diabolum homicidam* secuti fuerunt, & se cum omni posteritate per lapsum in præsentissimam *mortis penam* miserabiliter conjecerunt: nunc autem postliminio facti sunt *fili gratia*, *fili gratiosa adoptionis*, dum *spiritum non servitutis*, sed *adoptionis* acceperunt. *Rom. II. 15.* Et certe sine hac *adoptione pentecostali* eorum DEO nec comparere, nec permanere, nec ullam ab irato DEO *beneficium* obtinere potuissent. Nam sine *Filio Dei naturali* non fit, nec fieri potest ullus *Filius Dei Spiritualis*. Sine *Spiritu Dei*, nulla fit *adoptio*, cum *Spiritus Sanctus* sit *Spiritus adoptionis*, uti jam audivimus. At *adoptionis filii* facti sunt *Protoplasti*: Ergo *Spiritum Pentecostalem* acceperunt.

17. (XIII) *Ex gubernationis Pentecostalis Existentia*: nam cæpit in paradiso tum temporis non modo *festum paschale Messie*, dum *protoplasti* facti sunt *Messiam*, vel *Christiani*, per *novam vitam paschalem acquisitionem*; sed etiam *festum Pentecostale*, per *novam vitam pentecostalem applicationem*, dum non tantum *merito*, sed etiam ex ipso facto per *fidem* acceperunt *novam vitam*, *novam gratiam*, *novum spiritum*, *novam regenerationem*, *novam virtutem*, sive *facultatem*, *novam energiam*, *novam inhabitationem*, *novam illuminationem*, *novam informationem*, *novæ veritatis inspirationem*, & alia, quæ pertinent ad *regnum pentecostale*, vel ad *Dominum pentecostalem*, qui per *Verbum* homines peccatores in vera penitentia gubernare volebat, quod *officium* etiam per mille, & *quingentos annos* sustinebat, donec pessimum genus hominum oriretur, quod *officium*, & *judicium Spiritus Sancti* prorsus rejiciebat. *Gen. VI. 3.* Plura nunc addere non possumus.

Coll. diss. A. 25, misc. 67